

18

DOGMATA ET THEOREMATA
DE SACRAMENTIS
QUATUOR POSTERIORIBUS,
NOTIS CRITICIS ET POLEMICIS
ILLUSTRATA.

A U S P I C E
D E O O P T . M A X .

P R A E S I D E

J O S E P H O K L E I N E R ,
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, THEOLOGIAE DOGMATICAЕ
IN ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE HEIDELBER-
GENSI PROFESSORE P. O.

PRO BACCALAUREATUS THEOLOGICI GRADU

PROPUGNABIT

J O A N N E S L A U R E N T I U S H E Y D E C K E R

E R B E N D O R F E N S . P H I L . M A G . S . E . P . P R O D U C A T U S O L I S B A C E N S I
A L U M N U S C L E R I C U S , S S . T H E O L . E T S S . C A N . A U D I T O R
E M E R I T U S .

I N A U L A A C A D E M I C A
D I E X . S E P T E M B R I S M D C C L X X I X .

Horis ante meridiem consuetis.

P O S T D I S P U T A T I O N E M B A C C A L A U R E A T U S C O N F E R E T U R .

H E I D E L B E R G A E
T Y P I S J O A N N I S B A P T . W I E S E N , U n i v e r s i . T y p o g r .

DE SACRA MATERIA
DE SACRA MATERIA

CONSTITUTIO SCIENTIA
MOTUS CIVITATIS ET PECUNIARUM

CONSTITUTIO SCIENTIA
MOTUS CIVITATIS ET PECUNIARUM

AUGUSTI GELVIANI

DE OPTIMAZ

JOSEPHON KLEINER

IN ANNO MDCCLXVII
IN ANNO MDCCLXVII

EDIDIT MATHIAS THEODORICUS GRUSS

ET IMPRIMITUR IN VENETIA
PER FRANCISCUM MARZOLINI

DOG MATA ET THEOREMATA
DE SACRA MENTIS
QUATUOR POSTERIORIBUS
NOTIS CRITICIS ET POLEMICIS ILLUSTRATA.

§. I.

DE POENITENTIA.

I.

POENITENTIA, EJUSQUE PARTES GENERATIM.

i. Extat in Ecclesia potestas remittendi peccata quaecunque post baptismum commissa a). 2. Poenitentia, sive ritus, quo in Ecclesia Catholica homini contrito & confessio peccata dimittuntur, est verum N. L. Sacramentum b). 3. A Baptismo ejusque memoria distinctum. c) 4. Ejus partes ex parte poenitentis sunt *contritio*, *confessio*, *satisfactio*: d) ex parte Ministri *absolutio*.

a) Obsoleta est *Montanistarum* ac *Novatianorum* haeresis, hanc in Ecclesia potestate negantium. De prioribus S. HIERONYMUS ep. 54. ad Marcellam: *Illæ ad omne pene delictum Ecclesiae obserant fores rigidi aurem sunt, non quod ipsæ pejora non peccent sed hoc inter nos & illos interest, quod illi erubescant confiteri peccata, quasi justi &c.* De Novato, ejusque sectatoribus S. AMBROSIUS l. 1. de Poenitentia cap. 2: *Sed ajunt (Novatiani) se exceptis gravioribus criminibus, veniam relaxare levioribus. Non hoc quidem author erroris vestri Novatus, qui nemini poenitentiam dandam putavit.*

b) Ante LUTHERUM nemo ausus est recta inficiari Poenitentiae Sacra-menti veritatem atque existentiam. De *Waldensibus* quippe & *Wicleffo* ostendit Ill. BOSSUET in *Hist. variationum* L. XI. n. 104. & 165., potestatem remittendi peccata eos negasse Sacerdotibus duntaxat *improbis*, concessisse probis omnibus.

A 2

Huf-

Hussium vero de Sacramento Poenitentiae cum Catholicis sensisse, ostendit Orator Augustanus Cl. Aloys. MERZ Sermon. polem. 17: Ob der Lutherisch-evangelische Glaub älter sey, als Luther, contr. M. Engelb. Schade, & Facult. Theol. Erlangen 1767. pag. 39. seq. Unde vel ex haec parte contra Lüth., & qui eum sequuntur, pugnat argumentum Praescriptionis, quo genere αποδειξεως, invicto prorsus & ineluctabili, iam olim usus TERTULLIANUS, doctrinam quamcunque quae semel in Ecclesia tanquam dogma obtinuit, adversus futuras quascunque novationes invicte stabilivit.

Porro hac in parte de Sacramentorum numero, & speciatim de Poenitentia magis DD. Protestantium antesignani inter se, & a se ipsis, quam a Catholicis dissidet, a riota Veritatis, quae unitas est, recedunt. Ostendimus ita vetera novis jungendo & comparando. LUTHERUS, caeterorum dux, L. de captiv. babyl. non rejicit *septem* Sacra menta, sed ex Scripturis probari posse negat: secundum has *unum* duntaxat fore Sacramentum. Subjungit deinde: *Principio neganda mihi sunt septem Sacra menta, & tantum tria pro tempore ponenda, Baptismus, Poenitentia, Panis.* Ad finem ejusd. lib. Poenitentiam a ratione Sacramenti excludit. Lib. de Miss. angul. denuo *tria* poni; ac densum anno ante obitum 1545. Assertione 35. adversus Lovanienses (quas assertiones laudatus Bossuetus furiosas appellat) Poenitentiam, inquit, *cum virtute clavium absolvientium Sacramentum libenter confitemur.* MELANCHTON Poenitentiam esse Sacramentum negat in loc. commun. an. 1522; asserit in *Apologia Aug. Conf.* ap. 1530. In Conventu Lipsiensi cum DD. Wittenbergicis an. 1548. in *septenarium* denique numerum concessit. Sacra menta duo, Poenitentia exclusa, statuit *Catechismus Heidell.* Q. 68. *Catechismus parvus Lutheri*, approbante Consistorio recusus Francodallii 1777. Cap. 4. Q. 7., MOSER (Frider. Carl.) vertraute Briefe über ausgerlesene Materien des protestant. Geistlichen Rechts 28ter Brief. &c. CAROL. FERDIN. HOMMELIUS, Ordinarius Lipsiensis, in *Epitome sacri juris Lipsiae* 1777. Cap. 49. §. 1. *Septem, sit esse Sacra menta, quae eodem cum Catholicis ordine recenset, provocans adeo ad Trid. S. VII. C. 1.* quin ex suo sensu quidquam contra obmoveat.

c) Poenitentiam aliud non esse, quam viam & redditum ad baptismum, scriptit Islebiensis ad fin. lib. de Captiv. babyl. cit. Ejus vestigia pressere ex Luthe ranis Illyricus, Kemnitius, Seneccerus, Wigandus, Gerardus, cum quibus & Zwinglius, Calvinus, Beza Poenitentiae actionem intra memoriam baptimi absolvunt. Verum arbitrarie haec comminiscuntur: aut adducant ullum ex novo foedere locum, in quo memoriae baptissimi nostrarum venia adscribatur. Graviter post baptismum lapsos, Simonem magum Act. 8., ad poenitentiam (non ad baptissimi memoriam) S. Petrus allegavit, si forte remittatur tibi haec cogitatio; v. 22; & Corinthium incestuosum poenitentiae laboribus subactum, S. Paulus Ecclesiae communioni restituit 2. Cor. 2. Demum, si sola in poenitente reminiscencia baptissimi noxam delet, quorundam Ecclesiae ministris data est potestas (Joan. 20.) remittendi peccata? aut quorundam hac in re eorum opus erit ministerio?

d) Incussi conscientiae terrores (quos ceu partem Poenitentiae Augustana Conf. Art. 12. adducit), et si poenitentiam in salutem stabilem operari aliquando possint

possint (Conf. 2. Cor. 7. v. 10.), salutarem tamen poenitentiam ipsi haud constituerunt, a qua dividi possunt, prout in Iuda, conscientiae favoribus acto ac desperante, liquet; atque adeo, si quis cum muliere peccatrice Luc. 7. delicta solo charitatis ductu retractet, plane abesse possunt. Fides vero, qua poenitentia ex evangelio, seu *absolutione credat*, propter Christum sibi remitti peccata (Aug. Conf. art. cit.) fundamento destituitur. Promissio enim, qua rite poenitentibus venia promittitur, generalis cum sit, atque *conditionata*, si omnia rite debite que posita sint; quo pacto quis fidem de remissione sibi in individuo facta firmam atque indubitatam habeat, cui nulla de omnibus coram Deo rite valide que praefitiis revelatio obvenit? Addo videri παρασδοξον, rem aliquam constitui ex partibus, quarum posterior tollat priorem, uti de fide terrores incusos auferente, conf. Aug. loquitur. (*Mortificationem carnis, & spiritus vivificationem* (quas duas Poenitentiae partes assignat CALVINUS l. 3. Inst. c. 3. §. 8.) rectius explicat ipsa A. C. loc. cit. per *bona opera*, quae sequi debeant, & sint *fructus Poenitentiae*.

II.

C O N T R I T I O.

5. *Contritionem generatim*, secundum Tridentinum S. 14.
c. 4. dicimus animi dolorem ac detestationem de peccato commisso,
cum proposito non peccandi de caetero. e) 6. Ubi eam motivo charitatis perfectam esse contigerit, justificat ante actualem susceptionem Sacramenti. Trid. sess. & cap. cit; idque absque ullo intentionis & durationis gradu. f) 7. *Contritio imperfecta*, quae & attritio dicitur, & ex metu poenarum gehennae, aut quocunque motivo, charitate theologica inferiore concipitur, debite concepta voluntatem peccandi excludit, estque actus honestus & supernaturalis; 8. atque ad Dei gratiam in Sacramento impenetrandam proxime disponit; proindeque ad fructuosam sacramenti Poenitentiae susceptionem sufficit g); absque ullo amore initiali benevolentiae, aut amore ab illo, qui in spe includitur, distincto. 9. Dolori jungendum *Propositum relate ad peccata gravia universalis & saltem virtuale*.

e) Prae reliquis DD. Protestantibus, num. praeced. sub lit. c. & d allegatis, proprius ad genuinam contritionis definitionem accedit laudatus HOMMELIUS cap. 50. §. 1. inquiens: *Poenitentia est dolor animi, cum nobis displicet, quod fecimus.*

f) Huc spectant Propp. BAJI 31. 32. 33. 70. 71. a PIO V. & GREGOR. XIII. damnatae; uti & Propositio 10 & 11. ad consultationem Episcoporum Belgii proscriptae a S. Facult. PARISIENSI 7. Junii 1560.

g) Oeconomiam de *sufficientia attritionis* ad *justificationem* in *Sacramento*, *sine amore initiali benevolentiae*, paucis ita exhibemus. 1mo Ex sessione 6. *Trid. cap. 6.* nihil evincitur pro amore initiali benevolentiae: quin & ibi non agi de *justificatione* *ut praecise sacramentali*, sed potius, ac *praecipue* de ea, prout omni hominum statui & aerati communi, pluribus ex capitibus solide fundateque ostendi potest. 2do Ex SESSION. 14. ejusd. TRIDENT. *positive* pluribus evincitur *sufficientia attritionis*, citra dictum amorem initialem; quae & ipsa porro 3to plurimum stabilitur ex ipsa *immutatione Decreti dicta Sess. & cap. primitus concepti*. 4to Sententia de attritionis ad *Sacramentum*, absque amore initiali benevolentiae *sufficientia*, est *moraliter practice certa*; idque rationibus tum *intrinsecis*, tum *extrinsecis invitate stabilitur*. Faciunt *huc Decretum ALEXANDRI VII. de die 5. Maii 1665, Instructio a BENEDICTO XIII. Concilio Romano adjecta: testimonium BENEDICTI XIV. L. de synodo Dioceſ. lib. 7. cap. 13.*, ac recentius declaratio Eminentissimi Cardinalis ERBA, SSimi Dni CLEMENTIS XIII. vices gerentis, qui solenni formula Concionatoribus edixit, utramque in praxi sententiam subsistere. 5to *Authentia Historiae Concilii Tridentini ab Emtmo Cardinale SFORTIA PALLAVICINO editae*, non infringitur ex eo, quod JOAN. EMILIANUS Episc. Tuditanus, & BALTHASAR EREDIA Archiep. Calaritanus (de quibus historiae lib. 12. cap. 10. mentio fit) non reperiantur in catalogo Episcoporum, qui Tridentino subjicitur. Conf. Cl. AUG. MICHEL in *Disquisitione Theol.*, quam Illmo Episcopo Porphyriensi PETRO LAMBERTO LE DROU, pro attritionis *sufficientia* doctissime ac solidissime conscriptam, ac SSmo D. CLEMENTI Papae XI. dicatam an. 1711. opposuit, Part. 1. punct. 4. sect. 2. n. 4; quam Disquisitionem praemitto quinque, in celeberrimis Germaniae Universitatibus Facultatum Theologiarum judicio, ac dupli Ordinariatus, Augustani, & Frisingensis calculo, eximiis ornatam elogiis, ac tanquam doctrinae S. Concil. Tridentini, celeberrimarum Scholarum, & totius Germaniae praxi conformem, mirifice commendataam reperies.

III.

C O N F E S S I O.

10. Ut Poenitentiae *Sacramentum in re vel voto*, fidelibus graviter lapsis est *necessarium necessitate medii*; ita 11. *Confessio peccatorum gravium secundum numerum & speciem h) Sacerdoti facienda*, fidelibus lapsis *pracepta est jure divino i)*. 12. *Circumstantias intra eandem speciem aggravantes exponendas esse*, uti theoretice non satis evincitur, ita id in praxi salutari-
ter

ter tenendum esse existimamus. 13. Cap. *Omnis utriusque sexus fideles satisfaciunt, qui annuam confessionem faciunt Sacerdoti cuicunque approbato.*

h) Cum poenitens non teneatur, nisi ad singula peccata gravia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet, in confessione recensenda; (TRID. Sess. XIV. cap. 5.) confessionem omnium delictorum inter *aduvata* male reponit Confessio Aug. art. XI; nec melius Lub. sermone de Poenitentia carnificinam, Calvinus vero L. 3. Inst. c. 4. n. 7. laqueum & tyrannidem appellat.

i) Utile ac retinendam esse Confessionem tradunt LUTHERUS I. de captiv. babyl. cap. de *Poenitentia*, itemque I. de *Visitatione Saxonica*, & *Confessio Aug. n. IV. de Abus.* Eandem passim hodie retinent Ecclesiae, quae se Lutherano-evangelicas appellant, et si cum dispari, pro locorum diversitate, ratione. FRID. CARL. von MOSER *Vertraute Briefe* 28ter Brief: item *Beylage Num. II. §. 23.*, & auctor der *Briefe über den Religionszustand in Preussischen Staaten* 1778. Erster Band. Ejusdem *Confessionis veterissimum esse usum* fatetur reformator *Genvensis lib. 3. Inst. c. 4. n. 7. princ.*, & probat HOMMELIUS cap. 50. cit. §. 3. inquiens: „Hujus auricularis confessionis auctorem non esse INNOCENTIUM III, sed primis statim seculis eam in usu fuisse, vel ex Gratiani tractatu de Poenitentia discimus, qui ante tempora Innocentii tertii scriptus, & ex Capitulari „Regum Francorum d. A. 813. 25. apud Georgisch p. 774. &c., Ex institutione tamen divina eandem descendere uterque eod. loc. negat: Prior relata ex SOZOMENO Poenitentiarii (publici) per *Nectarium* abrogatione, veluti causa evicta triumphans in hoc epiphonema erumpit: *Hic, hic aures asini isti* (ita Catholicos honoris causa, & pro sua modestia compellat) *arrigant. Si lex Dei erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere?* Alter vero §. 3. cit. subdit: *Habet omnium criminum diferta confessio praeclaram speciem pulcherrimumque colorem. Si enim salutis civilis causa religiones fingendae essent, vix aliud efficacius occulorum peccatorum fraenum excogitari posset.*

Nos observamus imprimis hic conflictum, qui *Calvinum* inter & *Dallaeum*, itidem reformatae partis ministrum, intercedit: *Quaeo enim, ita DALLAEUS L. 4. de Confess. c. 24. qui abrogari potuit ea confessio, quae nusquam usitata deprebeat?* Deinde Redemus: si oculos magis animunque adhibueret Calvinus ad eundem, quem adducit *Sozomenum*, lib. 7. c. 16: (cum poenitentibus, inquit ille, etiam si saepius deliquerint, veniam dare Deus praeceperit; cumque in petenda venia peccatum *necessario confiteri* oporteat &c.), neque confessio nusquam olim fuisse liberum loc. & §. cit. scripsisset, & manu ab indecoris, quae familiari sibi stylo, hoc maxime §. congesisset, cavillis abstinuisset. Hommelio reponimus: *Si Confessionis lex esset juris mere humani & ecclesiastici, fuisse in ea profecto dispensatum aliquando cum Viris Principibus (quo argumento usus fertur HENRICUS VIII. Angliae Rex in libro, quem novellis Lutheri erroribus opposuit an. 1519).* Id vero sane nuspiciam accidit. Caeterum, quando

PERT-

PERTSCHIUS & FRANCKE scribunt, ille quidem Tractat. *Vom Rechte der Beichtstühle*: Si ministris Ecclesiae congrua salario constituerentur, & nummus confessionalis eliminaretur, facile clericos in abrogatione in confessionis consensu esse; hic vero im Zeugniß vom Dienst Gottes p. 153: Der Beicht-Stuhl ist die Angstkammer und Marter-Bank aller treuen Knechte Gottes, gleichwie ihm hingegen der Teufel zu einer lustigen Zoll-Bude gemacht für die Mietlinge und Bauch-Dienstviderint eorum patroni; quomodo eos vindicent, si a suis forte ex lege Corneilia postulentur.

IV.

ABSOLUTIO, SIGILLUM CONFESSIONIS.

14. Minister Sacramenti Poenitentiae solus est Sacerdos legitime ordinatus. 15. *Absolutio*, quam & formam Sacramenti dicimus, continetur verbis: *Ego te abservo &c.* aut aequivalentibus. 16. Quibus peccata non tantum declarantur remissa, sed vere actu judiciali, virtute clavium, remittuntur k). 17. Haec forma neque unquam fuit, neque secundum Christi institutionem potuit esse deprecativa. 18. Minister Sacramenti Poenitentiae adstringitur ad *Sigillum sacramentale* jure ecclesiastico, naturali & divino; idque in nullo penitus casu infringere licet l).

k) Graviter invehitur ENGAVIUS in verba *praetoria*, quibus quasi Dei vicarii, Sacerdotes utuntur. PERTSCH tract. cit. ait, invadere *jura majestatica* supremi Numinis, qui se ad peccata hominibus condonanda aptum jaicit: peccatori poenitenti a Deo peccata jam condonata esse ante, quam illa Sacerdoti confiteatur; contra, si contrito cordis desit, veniam nullam dari, et si centum Sacerdotes manus impoauerint; adeoque nihil agi, & frustraneum actum per confessionem suscipi; formulam proinde nonnisi prelatoriam & gratiae *annuntiativam* esse debere. Cum Pertschio sentit MOSER 28ten Brief, von der Beichtre p. 385. 387 &c. BOEHMERUS vero I. E. P. Tom. 5. lib. 38. §. 59. non tolerandam esse diutius formulam communem sentit. Idemus, haec omnia permitti a nobis comparate ad eos, qui a legitimo nexu cum Episcopis, Apostolorum successoribus, se juncti, & non nisi a plebe aut magistratu vocati, consecrationis nihil habent. Sacerdotes Catholici consecrantur ab Episcopis: Episcopi continuo nexus junguntur Apostolis. Apostoli a CHRISTO, qui Ecclesiam suam perpetuam esse voluit (Matth. 16. v. 18. & c. ult. v. 20.) *claves regni coelorum* Matth. 16. v. 19., potestatem ligandi & solvendi Matth. 18. v. 18., remittendi peccata & retinendi accepere, Joann. 20. v. 23., communicandam utique ceteris, cum Ecclesiae perpetuo duratura, ipsi per se ad consummationem usque ad futuri haud essent.

Atenim

= = = = =

9

Atenim unde denique innoteſeit, per textus laudatos potestate in *vere, proprie & coram Deo* peccata remittendi, neque nudum duntaxat declarandi ministerium indicari? Evidem si contra obvium ac naturalem verborum illorum intellectum, ac proinde contra primam exegeseos regulam litem inovere lubeat, haud profecto difficulter id evincitur. Sane 1mo claves haud dantur, ut ostium quis declareret esse apertum, sed ut replet aperiat. 2do Quo sensu isthaec phrasis, remittere peccata, accepta a Christo fuerit, Pharisaorum ostendit objectio, qua Christum blasphemiae arguebant, quod potestate soli Deo propriam (peccata *vere dimittendi*) sibi arrogaret: Ubi, si de declaratione solum res fuisset, neque conqueri illi, neque obmurmurare poterant, cum ex Lege, declararam quoque a Narbene Davidi remissionem nossent, citra blasphemiae reatum. Scandalum proinde eorum ortum habuit ex nativa, atque omnibus obvia vocis remittere significatione; quam adeo Servator eis non ademit, ut potius adjecto paralytici sanati prodigo confirmaret ibid. v. 23. 24. Sequitur: Igitur & Christus Joan. 20. conferens Apollonis potestatem remittendi, eandem, quam ipse habebat, contulit: mox enim ante ea verba versu 21. *Sicut, inquit, misit me Pater, & ego mitto vos: . . Accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c.* 3to Eademi est auctoritas ligandi, quae solvendi ex verbis Matth. 18 v. 18: Quaecunque allegaveritis super terram, erunt ligata & in celo; & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in celo. Quae enim usquequaque hic discriminis ratio extundi poterit? At vero ligare sane plus est, quam annuntiare, vel ostendere ligatum; igitur similiter &c. Profecto quicunque idiomatis compos, ad haec absque praeconcepta opinione, aut partis studio animum advertit, adversaria explicatione vim textibus afferri, sensu quodam intimo percipiet; ac porro ex primorum seculorum sensu (queam inde ab ortu ad nos usque propagatum, post BELLARMINUM HONORATUS TURNELIUS, aliique dogmatici passim exhibent, quaeque tanquam fonti proxima, genuinum cum veritate sensum procul dubio hauserunt) vel invitus cogetur, obvio verborum remittere, solvere &c. sensui subscribere, nisi veritati omnibus modis comprobatae obiectari contumaciter velit. Demum 4to, atque ut plura hic omittamus, si per *to remittere, solvere &c.* non nisi nudum declarationis officium intelligi velint, quis sensus magis absonus, quam iste verborum Christi emerget: *Quorum peccata dimissa declaraveritis, declarabuntur (remittuntur) eis dimissa?* „Ne quaeſo (ut hic utamur verbis Cl. BENED. STATTLERI in Universit. Anglipolitana Professoris & Procan-cellarii Tract. 6. p. 337.) ineptias (dicamus paulo mitius, inania) nobis afferant, ut credamus eis, Christum in re tanta impropre loqui censendum esse.“

1) Sigillum hoc apud Catholicos sacrosanctum esse, ita ut nullo penitus in casu violari possit, res explorata, omnibusque nota est. HOMMELIUS l. c. §. 7. differit, sigillum Confessionis pariter ab Evangelicis jure meritoque fervari: testimonium Confessionarii pro non scripto haberi; nec ullum indicium ad purgatorium (juramentum) multo minus ad torturam praebere. At vero GEORG. GOBAT de Poenit. n. 778-80 duplex affer exemplum: alterum viri, qui filium veneno sustulerat, alterum mulieris, crimen capitale patribus suis spiritualibus clamando fide confessorum; ab his vero Praefecto eos denuntiaros, capitali supplicio piam simplicem



ratem luisse. Exemplum aliud profert BOEHMERUS Lib. V. I. E. P. tit. 38. §. 48. ubi queritur, Annam N quæ solatii causa adulterium pastori suo Lutherano cum multa poenitidine confessa privatim fuerat, ab hoc ad magistratum delatam, & supplicio fuisse addictam, nulla habita ratione *Responsi*, quod ICt Hallenses ad hunc casum reddiderant an. 1694. Universe hic observamus, posita facultate, sigillum *quocunque in casu revelandi*, Confessionis sive praeceptum, sive, ut ipsi volunt, consilium penitus evacuari: Quis enim oneri tam gravi, sua ipsius delicta detegendi, se se subjiciat, si pro solatio aut relevatione intenta, quacunque ratione gravius aliquod malum, aut etiam capitale, imminere sibi posse persuasum habeat?

V.

S A T I S F A C T I O.

19. Dimisso peccato quoad reatum *culpae*, remanere potest reatus *poenae*; 20. ad quem diluendum, aut diminuendum *poenitentia* proportionata a Sacerdote *imponenda*, a poenitente vero acceptanda, atque implenda est. 21. Poenitentiae execu^{tio} non necessario praecedere debet *absolutionem* m). 22. Poenitentia *publica* olim in Ecclesia usitata in multis differebat a Poenitentia *privata* sacramentali n). 23. Extat in Ecclesia potestas concedendi *Indulgencias*, earumque usus fidelibus maxime salutaris est o). 24. Ad plenum *Indulgenciarum fructum consequendum*, praeter alia *praescripta*, requiritur probabilius *propositum congrue Deo satisfaciendi* p).

m) Huc pertinent doctrinae contrariae PETRI DE OSMA a SIXTO IV; MARCI ANTONII DE DOMINIS, Spalatensis Apostatae L. 5. de republ. Christian. c. 7. n. 57., THEOPHILI BRACHET in lib. *Verax pacificus*, ab ALEXANDRO VIII. an. 1690. proscriptae; uti & Propositio Quesnelli 87. a CLEMENTE XI. 8. Septemb. 1713. confixa.

n) Disciplina poenitentiae publicae & *solemnis* olim haec erat. 1mo. Peccata prorsus *occulta* nunquam vi canonum poenitentiae publicae subjiciebantur. 2do. Ex publicis vero non nisi atrociora; praesertim idolatriae, homicidii, & adulterii. 3to Ei subeundae *Presbyteri* & *Diaconi* nunquam ex lege lata erant obnoxii. 4to Poenitentia *solemnis* & *publica* non nisi *semel* concedebar. 5to Ultima & *solemnis* poenitentium reconciliatio non erat per *absolutionem* sacramentalem coram Deo, quam supponebat, sed per reconciliationem cum Ecclesia quoad oblationes, & participationem Eucharistiae.

o) Exemplum Indulgenciae quoad poenam residuam concessae, suppeditat Apostolus in Corinthio incestuoso, cui (2. Cor. 2. v. 10.) donavit aliquid (de poeni-

poenitentia residua. Conf. 1. Cor. 5. v. 5., & 2. Cor. 2. v. 7.) in persona Christi; ac S. CYPRIANUS Sec. III. ep. 14. loquitur de lapsis in persecutione Deciana, qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possint. Si abusus in eo genere aliquando undecunque reprehensus sit, neque is ab Ecclesia approbatus inquam fuit, neque obesse legitimo usui potest; ne in omni republica aut societate, sacra & profana, civili, oeconomica, conjugali, cum abusu ipse usus tollendus sit.

p) Hujus sententiae momenta prolixae ac solide exponit Cl. EUSEB. AMORT in Opere historico-dogmatico de origine, progressu, valore ac fructu Indulgentiarum &c., excuso Augustae Vind. 1736, recuso Venetiis 1738; cui operi, teste Emin. Cardinale LERCARI, Roma applausit. Conf. laudati Auctoris Theologia ecclesiaca Tom. III. Disp. 7. Quaest. 2. per tot.

§. II.

EXTREMA UNCTIO.

25. EXTREMA UNCTIO (graecis ἀγιοῦ ἔλαios, εὐχελαῖον) est verum N. L. Sacramentum. 26. Ejus subjectum est homo viator baptizatus, vi morbi in probabili periculo mortis constitutus. 27. Per τας πρεσβυτερες (Jac. 5. v. 14.) non intelliguntur seniores in Ecclesia, sed soli Sacerdotes. 28. Remittit hoc Sacramentum probabiliter directe, & ex vi institutionis suae aliquid peccata, etiam gravia, quoad culpam q).

q) Joan. Calvinus cum L. 4. Inst. cap. 19. §. 18. extremam Unctionem hispanicam hypocrisin, & §. 21. abominabilem unctioem; ejus vero ministros sacrificulos appellat, usitatam ac familiarem sibi maledicentiam prodit. Quando vero §. mox cit. oleum ab Episcopo benedictum mordaciter deridens, vocat multo halitus calefactum, multo murmure incantatum, & novies flexo genu salutatum, summam rituum Ecclesiae Romanae ignorantiam prodit: neque enim in benedictione olei infirmorum sive halitus Sacerdotum, sive salutationes (quae sunt chrismati consecrato & oleo catechumenorum) adhibentur. Ritus porro hujusmodi sanctitatem ac veritatem solidissime vindicatam vide apud LAURENT. BERTI de Theolog. discipl. Lib. 35. cap. 4. n. 3, ex monumentis & libris Pontificalibus Ecclesiae tum graecae tum latinae, quorum aliqui aetatem 700, ac 1000 annorum superant.

O R D O.

29. **O R D O**, sive actio sacra initiativa Ministrorum Ecclesiae est verum N. L. Sacramentum. 30. Rationem Sacramenti, & quidem distincti participant *Episcopatus*, *Presbyteratus*, *Diaconatus*. 31. Non item Ordines reliqui. 32. Ordinationes Episcoporum Anglorum ad formam & legem Ritualis EDUARDI VI. peractae, irritae sunt & invalidae. 33. Existit in Ecclesia *Ordo Hierarchicus Ministrorum Ecclesiae*, a statu laicali institutione divina distinctus r) 34. In hoc ordine jure divino *Episcopi Presbyteris superiores* sunt potestate ordinis & jurisdictionis s). 35. *Lex Caelibatus* Ordinibus majoribus annexa, aequissima est, sanctissima & antiquissima t).

r) Antehac *jus sacrorum* ex jure territoriali Principibus vindicabant DD. Protstantes, ut videre est apud CHRISTIAN. THOMASUM in *cautelis circa prae-cognita Juris eccles. c. 18.*, HENR. HENNIGES de *summa poteſt.* Imperat. circa *sacra c. 20.* &c., cum quibus sentit MOSER von dem Grund, worauf der Evangelischen Reichstände *Gerechtsamen in Religions- und Kirchen-Sachen beruhben*, in den Abhandlungen aus dem teutschen Kirchenrecht 1772. N. 1. Alii hodie communius Ecclesiam volunt esse *Collegium aequalium*; de quo PUFFENDORF de *babitu Relig. §. 32.* JOAN. PERTSCH in *element. Jur. can. Tit. 1. membr. 3. §. 18.* MOSHEIM *Allgemeines Kirchenrecht f. 28.* In utroque systemate neque potestas praecipiendi in Praepositis ecclesiasticis, neque debitum obteinperandi in subditis, ex *institutione divina* descendere agnoscitur.

Verum, quod ex Apostolorum actis cap. 20. v. 28. discimus, jam inde a primo Ecclesiae exordio *Spiritus sanctus* (non magistratus, non populus) posuit *Episcopos*, regere Ecclesiam Dei. En auctorem, *Spiritum sanctum*. En subjectum collatae potestatis, *Episcopos*. En inter membra Ecclesiae *inaequalitatem*: muneri enim *regendi* ex adverfo debitum parendi respondere necesse est. Atque, ne cuiquam dubium fortasse hac super re remanere possit, audiamus ex purioribus, ut vocant, Ecclesiae seculis aureum CONSTANTINI M. effatum apud RUFINUM H. E. L. 10. c. 2: *Deus vos (ita Episcopos Nicaeae congregatos alloquitur) constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicanli, & ideo nos a vobis recte judicamur.* Constantino jungimus AMBROSIUM Lib. 5. ep. 33. ita respondentem VALENTINIANO: *Noli te gravare Imperator, ut putas, te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus — ad Imperatorem palaria perirent, ad Sacerdotem Ecclesiae. Publicorum tibi in omnium jus commissum est, non sacrorum.* Plura in hanc rem iamjam attulerat, ep. 32., ubi ad THEODOSIUM, Valentini parentem, atque ad factum CONSTANTI, paulo ante a nobis adductum provocat. Decretoriae plane, nisi pro mea sentiendi libidine, quae clarissima sunt, obscurare velimus, sententiae!

s) Nihil non agunt DD. Protestantes, ut pro suo systemate Episcopos loco & gradu moveant, ac Presbyteris pares efficiant. DAVID BLONDELLUS edita ampla hac super re disceptatione; cui titulum fecit, *Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris*, sanctum hunc Ecclesiae Romanae Doctorem in suas pertrahere partes voluit. Evidem frustraneo conatu: utrum vero cum bona illorum gratia, qui inter ipsos Protestantes Superintendens (aliquando generalium) nomine & praerogativa eminent? in medio relinquimus.


t) De Caelibatu mitius sentiunt recentiores ex DD. Protestantibus, atque *Confessio Aug. de abus. Art. II*; ac ipse antecessor Isleicus ep. ad Albert. Archiep. Mogunt; inter quos GERARDUS tit. de Conjugio §. 490. caelibatum purum & castum in personis ad eum idoneis, h. e. (ut §. 494. ipse explicat dono continentiae instructis) nequaquam esse improbandum. Si sensus sit, ut ne temere, sive proprio arbitratu, sive alieno impulsu ad ejusm. vitae genus quis provolet, assentior. Si velint ex difficultate deinceps accedente, rumpi posse fidem obstrictam; dicentes, idem fieri posse post adstrictam fidem conjugalem, conjugum altero aut diutius absente, aut perpetua aegritudine affecto, aut difficultate gravi ac diuturna undecunque obveniente? Non putem. Nulla sane tum frequentior foret mercium in tabernis aut foro permutatio, quam in societate humana isthaec conjugum.

Porro de notis, ex quibus colligere liceat, quinam censendi sint esse vocare ad statum Clericalem, quinam non? videri omnino meretur AMORT. Theol. eccl. Tract. de Sacr. Ordin. §. 1. q. 5.

§. IV.

MATRIMONIUM.

36. Inter fideles initum veram Sacramenti rationem participat u). 37. Matrimonium ratum duntaxat, Professione religiosa, & probabilius Summi Pontificis dispensatione, 38. Consummatum vero inter fideles sola morte alterius conjugum solvitur quoad vinculum. x) 39. Polygamia simultanea, utut aliquando in V. L. permitta, repugnat primaevae institutioni matrimonii, & maxime legi Evangelicae y). 40. Inter conditiones substantiae matrimonii adversantes non venit pactum servandae perpetuae castitatis. 41. Potesas statuendi impedimenta dirimentia matrimonii, uti & cognoscendi de causis matrimonialibus, competit soli magistratui Ecclesiastico z). 42. Unde potestas Principis secularis (fidelis aut infidelis) respectu subditorum fidelium, in hoc genere ultra effectus quosdam civiles non extenditur.



u) Contra quosdam, qui ex Ep. Ephes. 5. a. v. 25. minus efficax pro Matrimonii Sacramento argumentum duci existimant, sentimus cum COLLETO Tract. de Matrim. Cap. 2. Concl. 2., solide id inde evinci posse; habetque ea probatio grave fundamentum in TRID. Sess. 24. cap. unico de Matrim.

x) HOMMELIUS aliquoties laudatus, quem miro candore scribere in pluribus reprehendo, Cap. 53. §. 48. notat, si dispensatio (e. c. in consanguinitate) ante fuerit impetrata, divorcium non admittere Catholicos; attamen Protestantes: tum subdit, HENRICUM VIII. regem Angliae, cum propter dispensationem praeviam cum Catharina, fratriis vidua, Pontifex ei divorcium quae situm denegasset, ad Protestantes ea in re faciliores transiisse. Sed quoniam, pergit, in Jurisprudentia Protestantium ecclesiastica admodum paucia sunt, quae inter se bene cohaereant, etiam dispensatae nuptiae apud nos dissolvuntur quidem; neque tamen tanquam nullae. Nam si dispensatio acceperit, non contra leges sunt initae, quomodo ergo possunt dici nullae? ... Id omne Juris regulae non quidem satis convenientes; attamen observantia Confessorum introductum fuit. Simili ratione differit §. 50.

y) Lutherum & Melanchthonem rescripsisse PHILIPPO Landgravio Hassiae, polygamiam simultaneam etiam in N. L. esse liberam, neque praecettam neque prohibitam, testatur BOSSUET l. 6. Histor. variationum. Instrumenta publica de matrimonio Philippi, auctoritate Lutheri & aliorum inito cum secunda, priore conjugie superstite, videre est apud JUENIN de polygam. Unde pro purgando aut vindicando hoc Lutheri factio laborans cl. Jo. FRIDERIC. CORTA in editione nova Tractatus de Conjugio Joannis Gerhardi, Tübinger 1776, pag. 194, criticos in suam difficulter sententiam pertrahet.

z) Auctor libri: Causa decisa divisarum potestatum in legibus matrimonialibus impedimentorum dirimentium, Francof. & Lipsiae 1777. vendicare conatur Potestati politicae facultatem statuendi impedimenta dirimentia, quae sint in effectu iustitiae, civilia & absoluta impedimenta. Uberius se haufisse ex LAUNOJI Tractatu de reg. potest. in matr. fidel., in praefatione profitetur. Placuit scil. p[ro]ae scriptoribus aliis clarissimis, quibus antecessoribus ad eundem scopum contendere poterat, coronare fontem, male, ipsius etiam SORBONAE judicio notatum. (Conf. quoque JOAN. CARRICHI de Ecclesia, Romanique Pontificis & Episcoporum legitimā potestate, Coloniae 1773., Lib. I. Tom. I. Cap. 1. §. 5.) Dolendum, Virum Religiosum tantaeque doctrinae, immoda[re]a styli acerbitate ac vehementia, qua potissimum clarissimos Duumviros, de Jure sacro in gemina Academia meritissimos, contra omnes decori leges adorsus est, tantam suae eruditioni labem intulisse. Observasset utinam ipse, quod ad finem Praefationis monet: Error furit, Veritas docet.



ADDI-

= = = = =

A D D I T I O.

Ex historia Religionis novissima.

Contra schediasma quoddam anno superiore vulgatum sub titulo:
Der erste Schritt zur künftigen Vereinigung der katholischen und evangelischen Kirche — gewagt, — fast wird man es nicht glauben — von einem Mönche, Cl. BENED. STATTLER in ana- cephalaesi ad DD. Protestantes in Germania universae Theologiae suae subjecta, Günzburgi 1779., solide perspicueque in eam disserit sententiam: nisi Ecclesiae falli nescia auctoritas & judicium (cujus fundamenti jactura & proditione unionem suam pacisci voluit Monachus ille, personatus vel verus) praeliminari veluti conventione, utrinque recipiatur, unionem possibilem haud esse omnino nos inter & DD. Protestantes; imo ne inter eos ipsos quidem unquam sperari posse: ex adverso hoc uno in punto si convenerimus, cetera omnia fore facillima, & expedita. Ei- dem schedio lucubrationem geminam opposuere, laudatus nuper Ecclesiae Cathedr. August. Orator, Aloys. MERZ, Sermone ha- bito in festo Pentecost. 1778., & novissime Cl. MATTHIAS de SCHOENBERG: *Wahrheitsgründe des katholischen Hauptgrund- sakes für die Unfehlbarkeit der Kirche, wider den sogenannten er- sten Schritt &c.* Uterque scriptis dogmaticis, polemicis & asceticis celebratissimus.

A. M. D. Gl.

857 858 859

